



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Dominica infra Oct. Nativitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



Martyrii. Quid de ista re Patres dicant, quid Ecclesia. Martyres etiam in utero matrum erunt infantes nondum nati, si commoriantur matribus in fidei causa. Ab Herode discamus, imperare affectui erga res temporales. Effrænis abripit hominem, & præcipitat paullatim ad imavitorum. Neque ambitio solum, sed avaritia, sed luxuria: numquam dicunt, sufficit.

A Deo discamus, omnia in bonum convertere. *Diligentibus Deum*, ut ait Rom. 8. Paulus, *omnia cooperantur in bonum*. Bonis spiritualibus, ad profectum utantur: bonis temporalibus, ad caritatem: malis spiritualibus, ad humilitatem: malis temporalibus, ad patientiam & augmentum virtutum omnium.

DOMINICA INTRA OCTAVAM  
NATIVITATIS.

THEMA. *Ecce hic positus est in ruinam, & in Resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Luc. 2.

Legitur hoc Evangelium in Octava Nativitatis. 1. Quia de infantia Salvatoris agit. 2. Quia quomodo dicitur D. V. conservasse omnia verba pastorum, ita & hic Simeonis. 3. Quia Simeon divinum horoscopum facit de Christo infante, ipsique eventuris: Explicabimus. AVE.

D. Augustinus, diversos in igne damnatorum effectus considerans, lib. 21. de Civ. cap. 4. ostendit eandem effectuum diversitatem naturaliter



raliter esse in palea, & in igne. Consule eum locum. Christus recens natus Ignis est divinus, & quidem jacens in Palea, & quasi Palea ipsemet repositus in præsepio. Effectus varios ejus ignis, & Paleæ, insignis Philosophus Simeon demonstrat, *Ecce, &c.* Quomodo in ruinam, quo nascente canitur Pax? Quomodo verò in Resurrectionem, si in ruinam? Quomodo signum cui contradicetur, quem omnes amare deberent, gloriamque ac pacem cum Angelis accinere? Difficultates enodemus.

Apud Toletum, Salmeronem, Maldonatum, aliosque, abundè invenies, quibus sententiis possit dici venisse Christus in ruinam. Deinde quibus etiam in Resurrectionem. Denique, quomodo in signum cui contradicetur, id est scopum jaculatoribus propositum: qua de re insignis est Origenis sententia, quomodo in omnibus Christo contradictum sit. Præcipuè tamen in Passione *sustinuit talem adversus semetipsum à peccatoribus contradictionem.* Imò & religioni ipsius contradictum, & modò &c.

Ex illis Concludamus, primò, Zelum nobis esse debere defendendi Christi adversus contradictores. Opprobria exprobrantium ipsi cadant super nos: *Bonum nobis, si nobis dignetur uti pro clypeo,* ut dicebat Bernardus. Secundò, si alii in ipsum jaculentur, ut scopum suæ aversionis: nos in illum omnes actiones nostras, & affectus dirigamus, velut scopum, nostræ bonæ voluntatis. Ipse est  $\alpha$  &  $\omega$  principium & finis.

EX



Ex ipsius gratia orta bona voluntas, ad eum revertatur, ut iterum fluat. Ita nobis erit Christus non in ruinam, sed in Resurrectionem.

## DIE S. SILVESTRI.

**T**H E M A. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes.* Luc. 12.

Parabolas binas exhibet Evangelium, eodem fine utramque, ut doceamur esse parati ad mortem. Nescimus certè an sequentem annum, etsi tantillo tempore à nobis distet, visuri simus. Opto tamen in antecessum cum votis optimis, &c. Videmus fuisse vigilantem S. Silvestrum.

## A V E.

Si quæ res est, in qua debemus esse Resignati. Indifferentes, Fiducia pleri, quæ Officia numeravimus bonæ voluntatis, ea est mors nostra, quam nescimus quando Deus nobis assignârit. Pendeamus igitur in futurum à Dei voluntate; qui vitæ nostræ posuit terminos, qui præteriri non poterunt; permittamus nos ejus Providentiæ, & resignemus, quando nos mori volet: & ut facilius utrumque illud faciamus, fidamus Deo, speremusque futurum, ut mors non accidat nobis, nisi ad bonum nostrum. Ne tamen fiducia nostra malè fundata sit, & evadat in præsumptionem, demus operam, ut benè ordinemus vitam nostram, & noctis hujus vigilias diligenter agamus. *Beati enim servi, &c.* Exemplum nobis proponitur in D. Silvestro. Vigiliis quatuor